

admodum lubricae sint quaestiones, in quibus facillimum sit multa ingeniose comminisci, certa et extra dubitationis aleam posita indagare videatur esse difficillimum.

Ceterum cum paucitate versuum, quos ex Electra Heraclidis Hercule a sequioribus scriptoribus afferri vidimus, si perditarum quarundam Euripidis fabularum reliquias contulerimus multo largiores, non poterimus non mirari fortunae ludibrium, quae haud paucas servarit fabulas Byzantinis hominibus paene ignotas, alias diutius lectitatas vel certe saepius laudatas nobis inviderit. nimirum verissimum est Agathonis illud,

τάχ' ἄν τις εἰκὸς αὐτὸ τοῦτ' εἶναι λέγοι,
βροτοῖσι πολλὰ τυγχάνειν οὐκ εἰκότα,

nec sperare ausim redditum nobis iri ullam earum tragoe-diarum, quas amissas esse nunc dolemus: sed si forte desiderata adhuc Euripidis fabula lucem viderit, omnibus patebit quanto nos ab eo quod quaerimus distemus intervallo.

Superest ut commemorem in Eur. fr. 15, 3 librorum scripturam *πλείστη γὰρ ἀρετὴ ἐ πίστις γὰρ ἀρετῆς* ortam videri, id quod perspexit Th. Gomperz. nec certum arbitror quod Valckenarius fr. 188, 2 scripsit *πολεμίων*, ubi *πολεμικῶν* requirit C. Lugebil. typosetae errore in fr. 301 *ἀσθενῆ* pro *ἀσθενῆ* et in adnot. ad fr. 385 *τοῦνομαι* pro *τοῦνομα* legitur.

Subiungere visum est, quod ab huius libelli consilio non alienum esse arbitramur, ad TRAGICORVM GRAECORVM FRAGMENTA anno 1856 Lipsiae edita supplementum. sed brevitatis studiosi potiora paucis indicasse satis habebimus.

AESCHYLVS.

Ἀθάμαντι hic accedit versus corruptus:

χαλκείοισιν ἐξαστηῆρες χειρούμενοι.

vide Aesch. fr. 417 et Milleri *Mélanges de litt. Gr.* p. 116. *ἐξαστηῆρσιν ἐξαιρούμενοι* coniecit Dindorfius.